

Quintò. In omnibus Vocibus, & loco, ubi puncta notasti, scribe easdem notas, quæ in Base ipsis correspondent, & habebis melothesium quæsitam, nempe contrapunctum simplicem quatuor Vocum.

Annotationes.

I. In electione ac translatione punctorum ex Abaco aut columna Melothetica in pentagramma palimpsesti, cavendum semper est, ne due octava, aut due quinta, hoc est, duo puncta 88, aut duo 55, se mutuò immediatè sequantur. Cavetur hoc, accipiendo alia puncta aliis numeris notata.

II. Præterea procurandum, ut intervalla Vocum, quantum possibile est, unita sint, & omnes incondite cadentia vitentur.

III. Tetrachordia cum his cautelis ex Abaco prædicto composita, suavissimum & Naturæ maxime congruum reddunt consentum, quia suavissima omnium consonantia in iis dominantur.

§. IV.

Abacum Melotheticum Expansum construere.

Diximus in præcedenti Pragmatia, Annotatione I. inter componendum vitandas esse duas quintas, & duas octavas per mutationem punctorum ex Abaco eligendorum. Id ut facilius fiat, & sine errore Tyronum, potest præcedens Abacus magis expandi, prout in Iconismo appposito apparet: in quo constructi sunt duo Abaci; quorum primus servit, quando datæ Basi superstruendæ sunt reliquæ Voces; secundus, quando dato Cantu (quæ est suprema Vox) reliquæ supponendæ sunt Voces.

Uterque Abacus constat viginti septem columnis perpendicularibus, seu à summo deorsum tendentibus, quarum tres uni Clavi attribuuntur numeris & foraminibus supra notatis insignitæ, ita ut in toto Abaco sint novem Claves. Singula autem columnarum triades perfectis consonantiis propriæ Clavis insignitæ sunt; quas consonantias in omnibus eodem ordine collocatas cernere est. Hæc ordinis similitudo omnem Diapente & Diapason iterationem in praxi excludit, ut consideranti patet, & usus ipse monstrabit.

LIIII 3

Primus

Abacus Melotheticus
Expansus.
Vide Iconis.
49.